R. A. 24. Octobr. 1636.

VOTA ET MOTIVA IN PROCESSV DON IOANNIS

MARIN DE VILLANVEVA, ET Domnæ Agnetis Fernandez de Yxar coniugum, super Apprehensione.

IN DEI NOMINE. Amen. Nouerint vniuersi, quod Anno a Natiuitate Domini nostri Iesu Christi, millesimo sexcentesimo trigesimo sexto, die vero connumerata vigesima quarta mensis Octobris, apud Ciuitatem Cæsaraugustæ, & in Camera Regij Consilij Ciuilis, præsentis Regni Aragonum; interuenerunt, & fuerunt præsentes magnifici domini Antonius Augustinus de Mendoça, Regens Cancellariam, Michael Thoma Secanilla, Vincentius de Ortigas, & Don Hiacintus Balonga, Regij Consiliarij, coram quibus fuit positus processus Ioannis Marin de Villanueua, & Domnæ Agnetis Fernandez de Yxar coniugum, super apprehensione, in quo omnes dicti quatuor Magnifici domini de dicto Regio Consilio, concordes fuerunt voti, & opinionis, quod attentis contentis in dicto processu tenetur, & debet pronuntiare, & mandare fieri contenta in propositione Ioannis Marin de Villanueua, & Domnæ Agnetis Fernandez de Yxar coniugum, principalium Didaci Antonij Antin, & Petri Ioseph de los Vayos, procuratorum, pro quantitate octo mille solidorum Iaccensium tantum, cum expensis iuribus suis durantibus, & eis finitis in bonis numero secundo, & tertio, in fine appellitus confrontatis, contenta in propositione Alphonsi Celdran de Alcaraz,

raz,& Albertæ Celdran de Scatron coniugum, principalium, Petri Tormon procuratoris, præstita prius respectiuè cautione forali alijs propositionibus repulsis reseruatis, iuribus reseruari, suplicantibus neutram partium in expensis demptis prædictis taxandis condemnando, cætera supplicata locum non habere. EX EO, & aliàs, recipitur propositio Ioannis Marin de Villanueua, & Domnæ Agnetis Fernandez de Yxar coniugum, pro quantitate sententiæ tantum, cum expensis; quia Domna Elena Abarca de Bolea, & Alphonsus Celdran de Alcarraz, domini & possessores bonorum in numero primo appellitus præsentis apprehensionis confrontatorum, die tertia, mensis Augusti, anni millesimi sexcentesimi vigesimi quarti, in solutionem quindecim millium solidorum Iaccensium, quorum debitores erant virtute instrumenti comādæ, seu depositi Reuerendo Ioanni Berbegal, a quo legitimis titulis, & inclusionibus ius, & causam habebat dicta domna Agnes Fernandez de Yxar, eidem insolutum dederunt alios quindecim mille solidos Iaccenses, quas annuatim ratione sententiæ arbitralis recipere debebant a dominis loci de Sobradiel, soluendos dictæ Agneti intra tempus decem annorum in instrumento insolutum dationis expressorum, pro quorum recuperatione, & exactione dicti insolutumdantes se, & omnia sua bona præsentia, & futura mobilia, iura instantias & actiones obligarunt cum hipotecis, & clausulis exuberantissimis, & sufficientibus ad obtinendum in præsenti processu, vt ex dicto instrumento in processu exhibito liquet, quo confecto Alphonsus Celdran de Alcarraz contraxit matrimonium cum Alberta Celdran de Escatron, domina dicti loci de Sobradiel, sicq; fuit effectus dominus dicti loci, & debitor dictorum quindecim mille solidorum similiter, quæ domna Agnes in secundis Nuptijs contraxit matrimonium cum Ioanne Marin de Villanueua, rebus sic se habentibus domini loci de Sobradiel, cessarunt in solutionem octo mille solidorū Iaccensium, facienda in annis millesimo sexcentesimo trigesimo primo, trigesimo secundo, & millesimo sexcentesimo

tri-

trigesimo tertio, dictis Ioanni, & domnæ Agneti, ex quo mediante instrumento publico, ac legitimo procuratore interpellarunt, domnā Elenam Abarca de Bolea, & Alphonsum Celdran de Alcarraz insolutumdantes, vt traderint eis instrumenta, & documenta in instrumento insolutumdationis calendata, per quæ eisdem competebat exactio, & recuperatio dictorum octo mille solidorum Iaccensium, tunc debitores, vt eos in iuditio petere, ac exigere possint a dominis loci de Sobradiel, & eundem Alphonsum, vt dominum de Sobradiel interpellarunt, quatenus soluerent dictā quantitatem quibus contumacibus, & renitentibus virtute clausularum, & hipotecarum instrumenti insolutumdationis præcarium reuocarunt, acceperunt possessionem, ac obtulerunt appellitum præsentis apprehensionis, & seruatis seruandis, in processu propositionem litispendentię, & ex obligatione bonorum futurorum Alphonsi in bonis numeri secundi, & tertij loci confrontatis, cum de eorum possessione constet pro prædicta quātitate octo mille solidorum Iaccensium tantum, debitorum cum expensis tempore interpellationis, & oblationis appellitus præsentis apprehensionis eorum propositio in dictis bonis numeri primi, secundi, & tertij, venit recipienda. Recipitur propositio Alphonsi Celdran de Alcarraz, & Albertæ Celdran de Escatron coningum, in bonis numeri secundi, & tertij; quia constat de eorundem dominio, & possesione suficiente ad obtinendum in præsenti processu tempore oblatæ appellitus præsentis apprehensionis, non recipitur in bonis numeri primi; quia non constat de dominio, & possesione dictorum bonorum, ex quo etiam in dictis bonis, numeri primi reijcitur propositio Michaelis de Vargas principalis, Petri Tormon procuratoris, & in bonis numeri secundi, & tertij etiā repellitur; quia tempore dictæ oblatæ, quod fuit die quarta Iunij, anni millesimi sexcentesimi trigesimi tertij, nec dominium, nec possessionem bonorum habebat; quia vt ex litteris narratiuis Curiæ Iustitiæ Aragonum, ab eo exhibitis

constat

constat repositum fuisse in loco iure instantia, & actione Alphonsi, & Albertæ, die vigesimo secundo eiusdem mensis, & anni sicq; possessio erat tempore oblatæ Alphonsi, & Albertæ, qui inspici debet iuxta fori dispositiones ad receptionem propositionis in articulis litispendentiæ in processu apprehensionis, nec casu quo tunc haberet, prodesse poterat contra Ioannem, & domnam Agnetam, qui cum ius, & causam haberet Vargas, ab Alphonso, & ipse, ac omnia sua bona sedentia mobilia actiones, & iura essent obligata, & hipotecata in instrumento insolutumdationis fuerunt in Vargas trãslata, & affecta sub, & cum hipotecis, & obligationibus Alphonsi, cæteræ propositiones repelluntur, quia eas offerentes non probarũt, vel publicarunt, & aliàs atten. conten. &c.

SIG✠NVM mei Iosephi Iubero, Scribæ mandati suæ Maiestatis, ac Cæsaraugustæ domiciliati, aucthoritateq́; regia per totam terram, & dominationem Maiestatis domini nostri Regis, publici Notarij, qui huiusmodi vota, & opiniones a regestro, siue libro Regij Consilij ciuilis præsentis Regni Aragonum, de anno supradicto, vbi continuata existunt extraxi, & cum eo benè, & fideliter comprobaui in quorum fidem præmissorum hoc meo solito signo signaui, constat de enmendato, vbi legitur, z, &c.